



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Reverendissimi Ac Illustrissimi Domini Domini Francisci  
Fenelonii Archi-Episcopi Cameracensis, Et Quondam Ab  
Humanioribus Litteris Serenissimi Ducis Burgundici  
Telemachus**

**Fénelon, François de Salignac de La Mothe**

**Francofurti, 1744**

**VD18 11007532**

Lib. XI. Argumentum. Telemachi desiderium viso extra Salentum Mentore,  
eiusque hostes furtiva excursio. Præsentia illius utilis promovendæ paci.  
Regum pacificus in urbem ingressus. Pacis conditiones ...

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69283](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-69283)

ad ea, quæ semel intulisset; duntaxat excurrens ad necessaria rei, de qua capiendum erat consilium. Quodsi autem interdum ad priora retrahebatur aut necessitate inculcandi, quæ dixisset, aut persuadendi; redibat semper fusior, ductisque perappositè similitudinibus locuples. Relucebat item in habitu eius, seu agere cum aliis seu docere volentis, mira quædam & facillima iucunditas. Ex omnibus tum copiis diversissimarum gentium nemo erat, quem tam venerabilis utriusque viri aspectus non moverit. Itaque dum Salenti hostes ex amicitia fiducia importunè stipatis cuneis se premunt, percelluntque desiderio & cominus aspiciendi & audiendi prudentissimorum par hominum; Idomeneus cum suis tota oculorum cupiditate studioque videndi adnitebatur, quid ex habitu consultantium vultuque coniectari fas esset, cognoscere.

## TELEMACHUS.

### LIBER XI.

**I**Nter hæc Telemachus longioris moræ haud patiens clam sese eripit Cretensium multitudini; festinatoque cursu ad portam, qua Mentor excesserat, imperantis voce prodeundi exposcit copiam. Non adverterat Idomeneum abitus eius. Itaque ut primùm extra portam, vicinùmque Nestori videbat esse, admirationem haud tenuit. Ceterùm agnitus à Nestore iuvenis, cum eum cerneret lentiolemque proætatate sibi moliri occursum, prior ipse involavit in collum salutaturi; mutisque amplexibus diu  
vinctum

vinctum affatus tandem cum gemitu: O mi pater, inquit! sic compellare non dubito. Licet per benignitatem in me tuam, & per iniquam sortem, quæ me verat Genitorem reperire; licet, inquam, debitum suavissimo Ulyssi nomen tibi impertiri. O pater! chare pater, quem rursus intueor! o si intueri & Ulysses sic queam! Tu, in quo ipsum quasi Ulysses recipio, tu mitigare profecto dolorem possis, nisi insanabile mihi iactura eius intulisset vulnus.

Moverat seni lacrymas hic Telemachi affectus, clam utique gestienti, cum tam concinnos tamque decoros fletus iuventuris aspiceret. Sed & fœderatos omnes in admirationem dabat species, oris suavitas, vulgo maior animus, & præprimis se per medias hostium acies penetrantis fiducia. Ecquid, aiebant, filius hic est senis Salentò huc egressi ad Nestoris colloquium? quid dubitamus? Ætas, quantum potest, utriusque diversa; at eadem sapientia, nisi quod hæc in altero florem, lectissimos uberrimosque fructus ostendat in altero.

Contemplatus Mentor, qua benevolentia à Nestore acciperetur iuvenis, gratulabatur sibi, suamque ratus occasionem: Ulysses, inquit, tantum Græciæ, tantum, Nestor, tibi dilecti hic filius est. En! obsidem eum, & pretiosissimum pignus habe, quo Idomenei roborari unquam fides potest. Facile intelligis, me parum sanè velle, ut amissum patrem ruina filii excipiat, Mentorique obiectet infelix Penelope, sobolem unicam consumpsisse in novelli regis, Idomenei, ambitum. Hoc itaque pignore, quod sponte advolavit, ut sese vobis assereret, quodque pacifici miserunt Dii,  
vobis,

vobis, ex tot gentibus delecti viri, ibo condiciones propositum, quibus iniri queat pax firma, sempiterna.

Vix protulerat pacis nomen: cum alii atque alii retrò ordines militum confusas voces, quæ nondum ad clamorem pervenissent, emisere. Frendebant itaque perstreptentes, haud dubii, omnem moram pugnae noxiam ipsis fore, taliæque ab internuntiis ob hoc solum dici, ut vacuas prædæ manus referret mitigata ira. Præcipua erat Manduriorum indignatio, existimantium, Idomeneum sperare, adhuc semel ipsis posse imponi. Constituerantque iterum atque iterum interpellare Mentorem, metuentes, ne tanti viri prudentia socios in diversa abstraheret. Et iam Græcos omnes, qui in ipsorum partibus erant, suspectos habere ceperant; quod ubi Mentor advertit, nihil morabatur ad dissolvendam earum gentium amicitiam alimenta suspicioni adiicere. Hoc ut efficeret, ita exorsus est:

Mandurios rectè conqueri, omniumque, quas accepere reparationem iniuriarum meritò postulare haud sanè diffiteor. Sed & istud Græcorum in hac ora coloniæ meritò postulant, ne indigenarum odiis suspicionibusque onerentur. Contra è Græcia advenas summa oportet voluntate consentire, atque ita se gerere, ut amicè habeantur ab incolis. Unde nil nisi cum moderatione agendum. Abstinentiùmque terris, unde iniquum est finitimos suos depellere. Equidem scio, adversam sortem inauspicatò tulisse, ut diffideretur Idomeneo. At arduum non est, eum, qua excidit, restituere fidei. Telemachum meque ipsum vades atque obsides  
habere,

habete, amicum eum non dubium futurum. Manebimus apud vos in custodia, non dimittendi, nisi integerrimè præstitis, quæ venerint in pactum. Ceterùm dolorem vestrum, Mandurii (pergebat contentiori voce) illud cumprimis accendit, quod post itinera montium, quos nunc incolitis, occupata dolò, liberum Cretensibus sit in eas sedes irrue-  
re, ad quas recessistis hoc animo, ut vacuæ ipsis essent maritimæ planities. Hæc itaque itinera, hæc fauces editis turribus dispositoque Cretensi milite impeditæ, re omnino vera bello dederunt causam. Agite, & si quid pugnatis præterea, edicite!

Tum appropinquans in responsam, qui imperabat Manduriis: Quanta (inquit) ad evitandum bellum non fecimus! Dii nôrunt, ab armis semper nobis vacationem fuisse, nisi cum pacificis esse extra noxam servitutis per Cretensium ambitum non licuit, ita se denique habentium, ut debuerimus fidem quoque iuratos timere. Vah insana gens! ipsa quæ ultimum salutis remedium, arma, sic in nostras intrusit manus, ut nisi ipsius interitu salvi esse non possimus. Haud immeritò semper erit nobis persuasum, quamdiu obtinebit illa itinera, terris & libertati nostræ insidiari. Quodsi enim verè & unicè captarent cum proximis amicitiam, contenti herclè iis, quæ sponte cessimus, omitterent montium nostrorum aditus occupare, nisi libertati nostræ superbè inhiarent. Nondum, prudentissime senex, nondum gentis huius mores cognovisti, quos satis superque & malo nostro Mandurii didicimus. Desine, Superis dilectum caput, morari bellum iustum, necessarium, quo sine haud quiescet umquam diu Hesperia. Vah ingrata, perfida,

fida,

fida, crudelis natio, missa ab iratis Diis in dulcissimæ pacis detrimentum, in pœnam, quæ eheu! perpetravimus, scelerum. Sed utique hanc ubi vobis expenderimus, Dii, gentem nostram, non hostibus quam nobis æquiores, ulciscemini!

Videbatur ad has voces ardere tota concio, ordinésque obeantes Mars & Bellona furorem pugnandi renovare in animis, quos Mentor lenire satagebat. Atque is revocato sermone: Si nudis, inquit, pollicitationibus agerem, esset profectò, quod fidem vestram deberet suspendere. At certa, præfentiâque offero. Si Telemacho & me retentis, nondum extra periculum vos esse arbitramini: faciam, ut duodecim ex nobilissimis fortissimisque Cretensium tradantur vobis. Ceterum tunc Idomeneum quoque obsides à vobis æquum est accipere. Neque enim ille, dum sincera fide desiderat pacisci, aut pacem inibit dubiam, aut indignam gradu suo, sed qualem vos contenditis ipsos ambuisse; quam imperavit ratio, & persuasit modestia, non vitæ desiderium molliter tranquillæ, non tenuitas virium, non quispiam ex futuris belli periculis metus. Paratus est vel vincere vel mori; pacem tamen anteponit vel illustrissimæ victoriæ. Erubesceret timere, ne succumbat; committere autem timet, quod iniquum: neque erubescit, quæ admissa perperam, corrigere.

Offert pacem, dum arma gerit. Condiciones pacis non superbè obtrudit; parvi enim ducit invitæ obtrusa fœdera. Sed illud optat pacis genus, quod nulli dissidentium partium grave, imponat invidiæ, dolori, & suspicionibus finem. Et ne multis: Est Idomeneo ea mens, qualem vos desideratis

deratis illi adesse. Cardo rei est, ut, quæ dixi modò, argumentis confirmem. Quod quidem facile præstabo, si æquis liberisque animis dicentem audietis.

Agite ergo, fortissimi populi, sapientissimi fœderatique Principes! & quid Idomenei offeram nomine, habete. Fas non est accolarum fines patere Idomeneo; sed neque ipsum fas est patere accolis. Permittit igitur, aditus & firmata turribus itinera à copiis neutrarum partium insideri. Vos quamquam oriundi natique in Græcia, Nestor & Philoctetes, præsentis bello restitistis Idomeneo. Itaque suspicionem de studio partium eius nulli movebitis. Rerum, quæ vos in hoc contingunt negotio, summa & caput est consulere publicæ paci, & libertati Hesperia. Vos igitur dehinc belli causæ, itineribus, præsidebitis. Vestræ tanti interest, Salentum novellam & vestrarum similem coloniam ab gentibus Hesperia non vastari, quantum arma vestra se opponerent per nefas vicinorum terras opprimenti Idomeneo. Neutri inclinabitis amplius, sed utrique vos æquali momentò impertiemini. Cavete armis obruere gentem tanto vobis opere diligendam. Imò sequestros vos & conciliatores, unde regum laus & decus petitur, præstare. At enim portentum vobis videbitur, certos esse, à pactis non recessurum Idomeneum. Ego verò id, quod requiritis, ita luculenter ostendam, ut audisse nemo vestrûm sit futurus quem poeniteat.

Securitatem utriusque partis, de quibus ante dixi, obsides defendent, ad suos non reversuri prius, quàm faucium angustias intraveritis custodien-

diendas. Numquid aliud vobis in potestate libet habere præter salutem Hesperiaë, Salenti, & ipsius Idomenei? ecquid metuetis impostherum? ane vobis diffidetur ipsi? Idomenei fidem censetis recusandam, qui ne custodes quidem capitis sui habere vos timet; tantum abest, ut velit decipere. Quid? quodd & quietem & vitam, & libertatem suam suorùmque in vestras tradet manus. Quodsi bona fide ad utilem pacem aspiratis, ecce hæc ipsa sese & ita sistit, ut repellendæ eius ratio vobis sanè nulla relinquatur. Repeto: ad offerendas huiusmodi conditiones pacis nullus Idomeneum metus incitat. Aliud credite. Sola ratio, iustitiâque hoc decretum animo eius persuasit, perinde utique habentis, pro imbecillitatis argumento, quæ studio virtutis agit, sumi. Sunt, quæ peccavit initio. At gloriæ ducit sibi, oblata vobis optione ineundi pacti errores suos agnoscere. Est sanè abiecti, elati, suæque penitus salutis ignari animi, sperare, delicta pertinaci superbâque posse defensione regi. At erroris apud hostem confessio, eiusque reparandi promptum desiderium declarant, fieri deinceps non posse, ut errare quis velit; nihilque esse, quod hostis recusata pace ex tanta & sanâ agendi constantia non metuat. Itaque consulti vobis; nec reos iniquitatis vos Idomeneo date. Præstò pax, præstò æquitas. Neutram reiicietis impunè. Enimvero accipiet tunc Idomeneus manifestum adversum vos ab Astris auxilium, quæ ne offenderit, ipse haud verebatur iniuriâ. Telemachum & me quod attinet, pro iusta causa stabimus. Ego verò Superos Inferosque omnes æquissimis conditionibus, quas vobis proposui, testes imploro.

Hæc



Hæc elocutus Mentor olivæ ramum signo pacis sublatum manu ostendit. Cælestem tunc ignem oculi eius iaculari visi, quo perstricti duces stupebant. Tantæque fuit specie maiestatis, ut, quidquid in Semideis adorat mortalitas, infra dignitatem eius comparationemque extiterit. Rapiebant animos verba, ex ipsa dulci lenitate, qua proferebantur, vim ingentem consecuta; qualem scilicet illæ habent vocum præstigiæ, quibûs in Olympo inter concubiæ noctis silentia lunæ stellarumque cursus, rabies irati maris, procellarum violentia, aquarum torrentium præceps fuga momentô temporis reprimitur.

Potuisset Mentor inter furentes belli æstu populos Libero Patri par credi, in tygridum existenti corona, quæ oblitæ feritatis suæ, atque ad divinæ dulcedinem vocis coëuntes, innoxiaque lingua demulcentes pedes inter id genus blandimenta subiecere se Numini. Quippe & altissimum silentium quàm mox consecutum est, & duces respectantes inter se non resistere viro; non asserere, non negare illi numen potuere. Armati fixi eodem vestigio detinebantur in eius vultu, mussitare non ausi, ne, si quid homini restaret dicendum, sono strepituve interciperent. Et quamquam dictis eius nihil videbatur posse adiungi, longiorem tamen ab eo sermonem aures requirebant. Vox nulla prætermissa ab audientibus, nulla in animos non impressa cum fide. Et quis dicenti aut non favere potuit, aut non assentiri, cum minutissimas etiam voces senilis facundiæ ambabus auribus & unicè captaret præsentium aviditas? Tandem paulò prolixius silentium levior solvebat fremitus, per

intervalla serpens, diversusque ab illis antè confusis vocibus indignatione frendentis militis, & lenissimò sonò, quali benevoli animi assuevère, pervadens auram. Facies explicari liquidissima mansuetudine: arma efferatis Manduriis unà cum dolore effluere: Lacedæmonii cum Phalante suo admirari adeò emollitum rigorem sui ad inimicitias obstinati animi: deposci publico, ceterorum suspirio oblatae pacis felicitas. Philoctetes, multa malorum experientiâ facilior ad motum, lacrimas tenere non potuit. Nestor in amantissimos Mentoris amplexus ibat, sermone illius mirum in modum affectus. Omnium vox erat quasi dato emissa signo: Eripis arma nobis, prudentissime senex. Pacem, pacem deposcimus, flagitamus.

Sermonem deinde Nestor moliebatur. Sed obstitère focii omnes iam non patientes moræ, veriti, ne futuræ paci minus amica diceret. Unde reditum ad clamorem, quo pacem semel iterumque invocaverant. Neque silentium impetrari à concione potuit, nisi Præfectis ducibusque in easdem voces conclamantibus. At Nestor videns, sibi liberum non esse oratione cohærente iunctaque uti, haud censuit reluctandum. Unde: Vides Mentor, inquit, oratio probi viri quid possit. Omnium æstus affectionum imperusque, sapientiæ & virtutis compescit facundia. Nostra omnium eaque haud iniqua indignatio, obfirmatus item ad pugnandum dolor animi ecce! transit in amicitiam æternæque pacis desiderium. In eas, quas tulisti, condiciones pacem accipimus. Hæc referente Nestore copiarum duces assensum porrectis, velut stipulaturi, manibus explicavère.

Post

Post hæc Mentor cum festinatione ad Salenti portam regreditur, moniturus Idomeneum, ut eâ apertâ procederet sine metu. Quæ dum fiunt à Mentore, Nestor inter suspiria Telemachum amplexu petit: Ah viri inter Græcos facilè sapientissimi chara progenies! utinam illi æqualis sapientiâ, fatò alienus sis! adhuc dum inutiliter de eos sectatus certiora? Memoria patris tui, cuius viva imago es, dolorem nostrum sopivit. Phalantes quoque tametsi aspero difficilique vir ingenio, & quamquam Ulyssè numquam viderat, movebatur tamen illius filiisque malis. Et iamiam hæc ex eo ut audirent, rogaverant Telemachum: cùm Mentor ponè Idomeneum revertitur, insequente universo Cretensium eoque egregiæ iuventutis agmine.

Hic conspecto Idomeneo nitebatur recrudescente sopitus dolor. Sed Mentoris vox suppressit iam erupturos impetus: Quid moramur, exclamat, sancire fœdus sanctissimum, cuius testes & vindices erunt Diî? ulciscantur isti, si quis infringere improbus sustineat. Salvi sint & integri, qui persistent in fide. Contra quidquid calamitosum formidandumque ferunt bella, incidat in ambitiosum perfidumque caput, quod tam solennis religionem pacti profanaverit. Diis & hominibus exosum sit, expersque semper fructuum sacrilegæ defectionis. Ruat in desperationem, in rabiem, præceps Furiarum imaginibus, futuris acutissimæ formidini. Cadaver tumulo careat, præda canum volatiliumque bestiarum. Ruat infelix umbra in infimas abyssus Tartari æternis suppliciis, illisque Tantali & Ixionis & Danaïdum immanioribus ex-

crucianda. Contra Atlantæ rupis, quæ astris se substituit, hanc pacem fulciat stabilitas. Hanc colat, quæ hîc paciscuntur, gentium fides: eiusque fructus in alias atque alias propagines transfundat. Volent nomina eorum, qui hoc adiurabunt fœdus, per ora ultimæ atque in suam ipsorum charitatem reverentiâque effusæ posteritatis. Esto hæc pax, cuius fundamentum iustitia, robur fides; esto exemplum, inquam, omnium, quæ deinceps fœdera paciscetur orbis. Et si qua gens salutem quærere constituit ex reparata amicitia, nulla umquam sit, quæ Hesperia sibi populos non arbitretur imitandos. Secundùm has Mentoris diras precésque iuratum in suprâ memoratas condiciones pacis. Utrinque obsides duodecim dati. Inter illos, quos Idomeneus dabat, Telemachus esse voluit; id quod Mentori non permittebatur, petentibus sociis, ut adesset Idomeneo, facta eius consiliâque omnia, dum promissa conventâque planè efficerentur, præstaturus. Locus sacrificiis inter urbem exercitumque destinatus. Cædebantur centum iuvenæ; iuveni eodem numero. Victimarum color proximæ integerrimæ nivi; auro incrustata cornua, ornataque floribus in spiræ circumeuntibus modum. Penetrabat horribili mugitu in proximo montes, cum sacro cultro icebatur, pecus. Passimque surgebat evolutus vapor manantis exactâ gulâ sanguinis. Vina non vulgaria, non modica libationibus effusa. Meditabantur palpitantia etiamdum exta aruspices, incensisque odoribus excitabant nubem, cuius suavitas omni circum agro afflabatur.

Interea utriusque partis bellatores! exempta  
acer-

acerbitate animi benevolè sese respicere, mutuís-  
que sermonibus cæperant eventus suos referre.  
Iámque absterfis belli molestiis dulces ex pace fru-  
ctus præcipiebant. Qui Idomeneum in Troianam  
expeditionem erant secuti, plerique agnoscebant  
militem, qui duce Nestore bellaverat in Phrygia.  
Ibant ergo in amicissimos amplexus, referentes  
per vicem, quidquid à vastata urbe totius Asiæ  
facilè ornatissima ipsis contigerat. Dehinc effusi  
in gramen, coronabantur alterna humanitate flo-  
ribus, vináque combibebant, quæ grandioribus  
vasis apportabant oppidani ad celebranda tam  
bonæ lucis auspicia.

Dum hæc apud gregarium; continuò Mentor:  
Erit deinceps, reges sociatique duces copiarum,  
inquit, ut diversa nomina diversique Principes  
unum duntaxat componant populum. Hoc vide-  
licet amor mortalium persuadet Diis, ut, quos  
condidère, eos æterno amicitia vinculo cupiant  
uniri. Familia & stirps unica universum genus  
humanum est, per totius orbis diffusa superficiem.  
Omnes populi fratres sunt, fraternumque amo-  
rem debent sibi. Væ scelestis, per fratrum suorum  
sanguinem, qui tamen suus ipsorum est, grassanti-  
bus ad crudelem gloriam! Equidem subinde bella  
vitari non possunt. At hoc ipsum mortalibus turpe  
est, subinde vitari non posse. Nolite, reges, nolite  
asserere, acquirendo nomini expetenda bella. Veri  
nominis dignitas gignitur intra humanæ limites  
naturæ; cuius si quis per ambitum averfatur ductus,  
monstrum superbiæ, non homo est. Teruntii erit,  
quameunque ita consequitur, gloria. Honorem,  
qui futilis non sit, sola clementia & mansuetudo

conciat. Potest quidem palpum duci huius vanitati hominis, tam perversè tendentis ad sublimia. Clam autem & cùm nulla subest adulario, ita videlicet de illo existimabitur: Tantò minus commertus est gloriæ, quò prensavit iniquius. Meritò contemnitur hic contemptor hominum, quorum sanguinem insana cupiditate prodigit. At felix me hercle rex est, qui populum suum amat & amatur; cui nec suspecti accolæ, nec ipse accolis suspectus est, quibúsque adeò nullum excitat armatum diffidium, ut etiam agat cum cura, ne inter se ipsi dissideant; qui denique eum se præstat in imperio, cui subesse ab exteris censeatur felicitas. Vos igitur hoc agite, ut subinde celebretis conventus; vos, inquam, qui potentissimis Hesperiaë urbibus dominamini. Tertio quoque anno habetote comitia, quibus omnes nunc præsentis reges intererunt, ad roborandam novo sacramento fidem, muniendam amicitiam, sociandaque patriæ salutis consilia. Concordia vos in opulentis hisce regnis tranquillos, illustres, copiosos; foris reddet invictos. Per solam discordiam, ad affligendos homines missum ab Inferis flagellum, extingui potest, quæ vobis parata à Diis felicitas.

Respondit ad hoc Nestor: Dum utraque manu pacem amplectimur, longè utique abesse à nobis intelligitis, ut ad capeffenda arma nos aut gloria bellandi, aut nominis cum finitimorum detrimento illustrandi iniqua impellat cupiditas. Verùm enim quid ages, accolam gravem, & violentum nactus, cui vicem legis præstat una commodi sui ratio? Qui alienas in possessiones, quàm potest, involat? Absit, ut hæc de Idomeneo putetis dici. Desivi iam  
hanc

hanc in eum conferre suspicionem. Adrastum puto. Dauniorum is rex est, communis omnium, & extrema illaturus hostis. Deos habet ludibrio, humanum autem genus eo demum loco, ut persuaserit sibi, natum illud esse, ad suam ipsius gloriam servitute propagandam. Non optat populum, cuius rex & pater ipse sit. Cælestium honores impendi sibi iubet, impios conatus eius adiuvente fortuna. Ad Salentum expugnandum cum festinatione ideò duntaxat sumus profecti, ut, superato hoste minimarum virium, & qui suas huc primùm transtulisset sedes, potentiori illi obverteremur. Atque is quidem plures iam urbes sociorum tenet: Crotoniatas prælio bis vicit: Aliter atque aliter famulatur ambitioni suæ: perinde habet, seu vi hostem opprimat seu dolo: ingentes opes legit cum avaritia: miles, quem sub signis habet, patiens est disciplinæ, & sciens belli: duces quoque satis periti. Ipsi verò regi sollicitam operam navant sui; quippe pertinaci cura observanti peragentes, quæ ab ipso præcepta sunt. Delicta etiam leviora non punit acrius, quàm liberalius remuneratur obsequia. Ut fortis est, ita ex vigore eius valentes copiæ. Næ is exemplar imperandi sit, si eorum, quæ agit, rationem à iustitia & fidelitate requireret. Atqui nec Deos timet, nec multantem conscientiam. Ipsa adeò fama boni nominis cassa nuce ei vilior est, nec pulchrior inanî spectrò, quo imbelles duntaxat coërceantur animi. Divitiis affluere, timeri, stare in cervicibus humani generis vera solidaque ipsi bona sunt. Videbimus propediem militem eius in regnorum nostrorum visceribus, & nisi pares nos faciat tot gentium fœdus

O 5 depel-

depellendæ iniuriæ, desperavimus libertatem. Et nostrâ & Idomenei interest propulsare à cervicibus hunc hominem, vicinorum omnium libertati inimicum. Nobis acie victis, idem Salento incidet discrimen. Maturemus igitur prævertendo malo remedium. Dum hæc disputantur à Nestore, processere ad urbem. Invitaverat enim reges & nobilissimos ducum Idomenei humanitas, officiosè rogantis, ut illuc secum pernoctaturi concederent.

## TELEMACHUS.

### LIBER XII.

**I**Amque tabernacula collocabat fœderatorum exercitus, velâque tum pretio tum colorum varietate conspicua intendebat, opportunum futuræ post molestias quietis auxilium. Urbem ingressi hospites mirabantur haud obiter, tantillo tempore ædificia hoc numero luxûque potuisse educi, & ne bellum quidem tanti apparatus incremento adolescentis coloniæ festinatôque nitore eius obstitisse.

Cœperat hospitibus stupori esse Idomenei sollicita sapientia; auctôrque regni tantæ spei & iam socius, credebatur augere posse, quantum satis esset, fœderatorum vires, si accederet pugnaturis in Daunios. Suadetur itaque Idomeneo, una coiret in fœdus, & ille tam æqua petentibus reluctari non debere ratus, promittit militem. At Mentor ut non erat rudis eorum, quibus regnorum ortus alerentur, ita facilè intellexit, Idomenei potentiam verò maiorem credi. Ergò seductum eum privatim adhibens:

E re